



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi  
Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 15. Ratione comprobatur eadem sententia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)



plausibilem, ac favorabilem naturæ, si gratiæ non repugnet, sicut reuera non repugnat: vel directe ostendendo, ac demonstrando à priori eandem veritatem.

2. Priorem igitur probandi rationem ita declaro, quia hæc sententia nihil omnino declinat in errorem Pelagij, vel reliquiarum eius, disceditque ab alio extremo errore Lutheri asserentis, liberum arbitrium post peccatum Adæ ad nihil, nisi ad peccandum valere: mediaque via incedit, quæ & est satis consentanea ipsi naturæ secundum se, & secundum id, quod à Deo habet, spectata, & in laudem ipsius creatoris cedit, & Christo Redemptori, & gratiæ eius non præiudicat: ergo omnino præferenda est. Antecedens quoque ad primam partem de errore Pelagij satis constat ex doctrina Conciliorum, & Patrum, quam adduximus: & quia nullus eorum reprehendit Pelagianos, aut Malsilianenses, eo quod dicerent, posse homines aliquod bonum opus per liberum arbitrium efficere: sed quia dixerunt, posse hominem omnia præcepta implere, vel innocentem vitam agere, vel suis viribus gratiam emereri, & negotium salutis inchoare, à quibus omnibus valde aliena est illa sententia. Et quamvis interdum reprehendant Pelagium, quod negauerit esse necessarium auxilium gratiæ ad singula opera, loquuntur plane de operibus pietatis, & ad salutem æternam conducentibus, ut visum est. Et in responsione ad argumenta iterum dicitur, ubi alium etiam sensum attingemus.

3. Quoad alteram vero partem de errore Lutheri, & hæreticorum huius temporis, certissimum est, eos hoc colore commendandi gratiam, & redemptionem Christi, ita exaggerare lapsum Adæ, ut imaginem Dei in hominis natura impressam deleuisse, & vires liberi arbitrij, præsertim ad bonum operandum, profus abfuisse dicant. Et ideo in Scholasticos Doctores acriter inuehuntur, eo quod communiter asserant manere in homine lapsæ vires arbitrij ad faciendum aliquod opus morale sine aliqua peccati macula, si quod in se est faciat bene: utendo ratione naturali, & sua libertate. Videntur autem hi hæretici dogma illud introduxisse, ut omnia hominum merita, omnes dispositiones ad gratiam, & consequenter necessitatem bonorum operum è medio tollerent. Ac denique, ut libertatem arbitrij, etiam in operibus bonis, vel gratiæ, omnino negarent: quia ( ut aiunt ) voluntas hominis per peccatum adeo imbecillis relicta est, ut nisi Deus illa utatur ut instrumento inanimi, nihil boni operari possit: si autem illa non utatur, malum ex necessitate operetur. A quibus omnibus erroribus tam longe abest dicta sententia, ut non solum in re ipsa, verum nec in loquendi modo velit cum his hæreticis conuenire.

4. Unde manifesta est alia pars, hanc scilicet sententiam mediam, & securam tenere vitam, quam esse consentaneam naturæ facile patet, quia spectat ad perfectionem eius, & non excedit eius limites ut ex sequenti discursu constabit. Quam perfectionem habet hæc natura à Deo, sine cuius proportionali concursu illa uti non potest: pertinetque ad diuinam bonitatem, & providentiam, ut hunc generalem influxum naturæ à se creatæ non neget, quantumvis peccato infecta sit: ideoque etiam opus aliquod bonum per vires liberi arbitrij facere possit, non ideo sine Dei proportionato auxilio id facere potest: atque ita totum in laudem authoris naturæ redundat. Ac denique sicut gratiæ Dei hoc non præiudicat, ita nec Christi redemptioni: quia ( ut ait Augustinus Epistola centesima quinta ) *Christus non pro multis mortuus est, ut homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, ut iustificarentur.* Quibus verbis significat, Christi redemptionem supponere naturalia dona, & superaddere supernaturalia, ut naturam subleuent, & iuuent ad operandum, & impedimentum peccati naturæ su-

peradditum auferant. Non ergo fit iniuria redemptioni Christi per hoc, quod aliqua scintilla naturalis boni etiam liberi, & moralis, post peccatum manifeste appareat.

Posterior probandi modus ostensiuus est, quia causa habens vires sufficientes ad aliquem effectum, potest interdum per eandem vires effectum illum, efficere non obstantem superueniente obstaculo, quod licet aliquantulum impediatur, vires tamen intrinsece non minuat, nec resistantiam insuperabilem inducat, nec conditionem aliquam simpliciter necessariam ad tale opus auferat, vel semper impediatur. Sed liberum arbitrium in natura lapsa ita comparatur ad actus bonos moraliter, proportionatos naturæ: ergo. Maior declaratur exemplum potentia rationalis affectu habitu inclinante illum ad alteram partem: hæc enim potentia habet ex se, & in suo ordine sufficientes vires ad actum oppositum: habitus vero superueniens impedit aliquantulum ne operetur actum habitui contrarium: Tamen, quia hoc impedimentum non minuit intrinsece vires potentia, nec resistit insuperabiliter contraria inclinationi eiusdem potentia, nec auferit conditionem necessariam ad operandum potest talis potentia, non obstante habitu, actum illi contrarium suis viribus elicere. Et ratio est, quia causa per se sufficiens, & non impedita, & habens omnes conditiones requisitas ad agendum, potest suum effectum efficere, cum communi primæ causæ influentia. Imo, si sit causa non libera, statim efficit illum, quantum, & quomodo potest: ergo si sit libera, poterit, saltem si velit, talem effectum præstare: si autem potest cum communi influentia id facere, non est illi necessaria specialis gratia, ut id faciat.

Supereest, ut subsumptam propositionem probemus, scilicet, liberum arbitrium in natura lapsa comparari ad actus bonos morales, ( per se loquendo ) ut causam habentem sufficientes vires ad talem effectum in particulari, & non semper habens insuperabile impedimentum, vel defectum alicuius conditionis necessaria ad operandum. Probatur autem hoc, quia imprimis voluntas humana per se, & intrinsece spectata in sua pura natura, vel in statu integræ naturæ habet vires sufficientes ad opus morale bonum, & bene perficiendum. Duplicem enim facultatem, seu vim necessariam ad huiusmodi actus considerare possumus: vnam ex parte voluntatis ipsius, eique realis, atque intime conuenientem, quam possumus physicam appellare, quia illa est causa vere ac realiter efficiens talem actum: alias facultas est ex parte intellectus, & iudicij, seu propositionis eius, quam possumus moralem vocare: quia non est physice efficiens voluntatis actum, sed tantum metaphoricè mouens, & excitans, eon sulens, & quasi suadens. Virtus ergo physica voluntatis illi intrinseca, & connaturalis respectu talis actus proportionata est, & sufficiens: alias talis actus per se spectatus non esset naturalis homini, nec proportionatus illi, sed superans naturam eius: ergo necesse est ut natura hominis, vel integra vel pura, habeat sufficientes vires physicas ad talem actum. Atque eadem ratione habet sufficientes vires morales, tum quia voluntas consequitur intellectum, & cum eo proportionem seruat, & ideo nihil potest voluntas naturaliter velle, & perficere, nisi quod intellectus naturaliter dicitur, & proponere potest, ut factibile ab ipsa, eique naturaliter conueniens. Tum etiam, quia tale iudicium, & obiecti propositio non excedit naturales vires ipsius intellectus. Unde ( quod notandum est ) quamvis respectu voluntatis habeat causalitatem moralem, respectu intellectus comparatur ut effectus verè & physice ab ipsa produciendus: ad illum autem producendum habet intellectus in sua

in sua pura natura spectatus vires physicas sufficientes, quia non excedit talis effectus naturalem capacitatem eius, vel debitam proportionem: sicut de naturali actu voluntatis ad physicas virtutes eiusdem voluntatis comparato dictum est. Igitur, qua ratione intellectus habet natura sua sufficientes vires physicas ad efficiendum talem actum, habet etiam sufficientem vim ad inducendum moraliter voluntatem medio tali actu. Quod si dicatur intellectus ipse, indigere propositione, & excitatione obiecti, ad hoc etiam habet naturalem modum sufficientem, per externam obligationem obiectorum, quae communi cursu naturae fit, & per internam vim intellectus agentis, cooperante ad haec omnia Deo per generalem influentiam.

7. Huiusmodi autem vires, tam voluntatis, quam intellectus, non sunt imminutae, intrinsece per se perveniens peccatum, seu lapsum naturae. Quia haec vires non sunt aliquid superadditum his potentibus ultra entitates earum, sed sunt ipsae realitates talium potentiarum, sicut vires caloris ad calefaciendum non sunt aliquid praeter ipsam entitatem talis caloris. At entitas voluntatis, vel intellectus non est imminuta per peccatum, imo nec minui potest, quia non est qualitas intensibilis, & remissibilis, sed omnino indivisibilis, quae vel omnino auferri debet, quod factum non est, nec sine monstruositate, vel miraculo fieri potuisset: vel tota manere debet, quia res indivisibilis diuidi non potest. Si autem tota entitas manet, totam vim agendi retinet, quia non est aliud, quam ipsa. Sicut calor ut octo, dum in illa intentione & gradu integer manet, non potest non retinere integritas vires naturales, quas ad calefaciendum habet: uno autem incipit remitti, quod si non esset qualitas remissibilis, nullo modo possent vires eius diminui, imo entitate conservata: ita ergo est in voluntate & intellectu hominis lapsi. Cum ergo liberum arbitrium nihil aliud sit, nisi facultas voluntatis, & rationis, manentibus integris internis viribus naturalibus intellectus, & voluntatis ad operandum bonum, tam physice, quam moraliter, vires etiam liberi arbitrii, quoad physicam vim, integras mansisse necesse est.

8. Quod autem non semper, & in singulis actibus occurrit homini, etiam in statu naturae lapsae impedimentum insuperabile ad bene operandum, facile persuaderi potest, quia vel hoc est impedimentum positium, & intrinsece, ac permanentiter existens in intellectu, aut voluntate, aut alia potentia animae: & hoc fingi non potest, quia per peccatum nulla talis res positiva, vel qualitas in potentibus huiusmodi superaddita est, sed solum priuata fuerunt donis gratiae, & originalis iustitiae: unde manserunt in ea positiva dispositione, in qua essent in puris naturalibus: certum est autem, in pura natura, & ab intrinseco nullam talem dispositionem positivam his potentibus convenire.

9. Vel hoc impedimentum est rebellio sentientis appetitus, & corporis corruptibilis infirmitas, quae aggruat animam, &c. At haec deordinatio potentiarum, quae ex peccato originali contracta est, licet ita debilitet vires liberi arbitrii ad operandum bonum morale consentaneum rationi naturali, ut sine gratia non possit totum illud implere, quin interdum ac saepe delabatur: non tamen ita urget, & impedit in singulis actibus, ut magnam difficultatem semper in gerat, nedum ut impedimentum insuperabile inducat. Saepem enim occurrit aliquid honeste faciendum, quod non est repugnans appetitui, vel inclinationi speciei, aut in diuidui, ut dare elemosynam pauperi, honorare parentem, & similia. In huiusmodi ergo actibus saepe contingit, fere nullam esse difficultatem. In nonnullis vero, etiam aliqua repugnantia appe-

titus intercedat, non tamen adeo ingens & magna, ut per vim rationis, & libertatis superari non possit, ut ipsa etiam experientia docet: & nulla est ratio, quae contrarium suadeat. Ergo nihil obstat, quin interdum in his occasionibus faciat homo quantum per vires naturae potest, ut bonum, honestumque actum exerceat.

10. Vel denique hoc impedimentum est extrinsecum à demonis suggestionem, & tentationem proveniens: & de hoc puncto dicemus inferius respondendo ad argumenta. Nunc solum dicimus, hoc impedimentum non semper urgere pro omni actu, & pro omni instanti, vel saltem non ita instantur urgere, ut homo ratione utens non possit moraliter respicere demonis suggestionem pro brevi tempore, ad unum, vel alium actum sufficientem. Siue hoc fit, quia demon ipse se non habet tantam vim & potestatem super hominē, siue quia Deus non permittit illum semper uti tota potestate sua. Quocumque enim ex his modis fiat, non interuenit ibi vera gratia interna, quae per Spiritus sancti inspirationem datur, de qua nunc agimus. Et ita semper verum est, non obstante hoc impedimento, posse hominem sine gratia aliquid bonum opus morale facere.

11. Dicit aliquis, hoc dictum recte probari, posse hominem sine gratia facere opus ex genere suo honestum non tamen ex omnibus circumstantiis bonum. Idque non ex defectu physicae virtutis, nec ex positio impedimento, sed ex defectu cognitionis & ex impedimento ignorantiae priuatae, quod saltem impedit semper debitam circumstantiam finis, sine qua non potest actus esse simpliciter bonus. Haec fere est responsio Gregorij Putat enim ad honestatem actus necessariam esse relationem in Deum ut in finem ultimum, & hanc non posse sine fidei cognitione, & gratiae adiutorio adhiberi.

12. Sed peccat multis modis. Primo, quia relatio actualis omni boni actus in Deum non est necessaria, ut actus bene fiat, & sit simpliciter bonus, absque illa macula culpae, ut ex 1. 2. quaestione decima octava, tanquam certum suppono. Voco autem relationem actualem illam, quae fundatur in proprio actu ipsius operantis, directe volentis illum finem, & relationem operis in illum: siue illa relatio fiat tunc, quando opus bonum fit, quae dicitur relatio formalis, siue praecesserit, & in virtute eius fiat, quae vocatur relatio virtualis. Sufficit ergo relatio quasi naturalis, & intrinseca actui tendenti in obiectum honestum, ut sic: nam eo ipso, quod fit propter honestatem participatam, quae est in obiecto, & non interruptur, nec impeditur per extrinsecam relationem in finem malum, ipse actus deservit in Deum, ut in ultimum finem omni boni, quae dici etiam solet interdum relatio virtualis ex vi operis, non ex alia actione operantis. Et ita haec circumstantia nunquam deest, si finis proximus honestus est, & alius finis malus non apponitur, quod fieri potest per solam cognitionem bonitatis obiecti, cum omnibus circumstantiis requisitis ad intrinsecam honestatem eius, absque altiori Dei cognitione.

13. Secundo, qualicet actualis relatio in Deum esset necessaria, sufficeret ad naturalem honestatem, quod fiat in Deum authorem naturae: ad hanc autem relationem potest esse cognitio sufficiens per vires naturae, & supposita illa cognitione, non excedit vires voluntatis illam efficere in aliquo actu: quia non oportet ut fiat in Deum super omnia efficaciter dilectum, sed satis est, ut fiat in Deum aliquo imperfecto modo dilectum, vel ex affectu aliquo colendi, & honorandi illi: quod esse possibile per vires naturae aperte supponit Paulus ad Rom. 1.

14. Tertio, quia si illa relatio omittatur propter inadvertentiam, vel ignorantiam aut Dei, aut obligationis adhibendi illam relationem, interrogo an illa ignorantia

ignorantia inculpabilis sit necne. Nam si est inuincibilis, omisio talis circumstantiæ non erit culpabilis, ac proinde non reddet actum malum, nec impedit bonitatem, quam ex obiecto, & alijs circumstantijs habere potest. Si vero ignorantia est culpabilis, supponit in homine potestatem expellendi illam, & vires sufficientes ad referendum actum in illum finem, alioquin omisio illius non potest iure ad culpam imputari. Denique rationes factæ æque procedunt de bonitate ex circumstantijs, & ex obiecto, quia tota illa bonitas non excedit proportionem virtutum naturalium voluntatis, nec dictamen rationis naturalis.

15.

Et potest hic discursus sub alia forma breuiter proponi, & confirmari: quia si gratia est necessaria ad singulos actus moraliter bonos, vel id est per modum principij physici, vel solum per modum moralis auxilij excitantis voluntatem, eodemque morali modo illum adiuuantis: neutrum dici potest: ergo. Minor quoad priorem partem de principio physico constat ex dictis. Quia voluntas habet sufficientes vires phylicas ad efficiendum talem actum, tam quoad substantiam eius, quam quoad modum debitum illi ex natura sua, seu ex vi rationis naturalis, qui modus satis est, vt actus simpliciter bene & honeste fiat. Et similiter intellectus habet sufficientes vires phylicas ad dictandum per naturæ lumen, & proponendum voluntati quidquid necessarium est ad honestatem illius actus. Quoad alteram vero partem de morali adiutorio, patet etiam ex dictis, quia huiusmodi adiutorium, extraordinarium, seu excedens ordinem naturæ, simpliciter necessarium non est, nisi vbi occurrunt impedimenta moralia, & homo non possit omnia moraliter vincere, nisi ab alio superiori iuuetur: at hæc impedimenta non occurrunt in singulis actibus moraliter bonis vt declaratum est: ergo auxilium illud morale non est simpliciter necessarium ad singulos actus naturalis ordinis, licet ad innocentiam, vel perseuerantiam longitemporis necessarium sit.

16.

*Add. ad omnia est responsum.*

Ad hæc vero omnia respondere coguntur, alij auctores, (quantum ex eorum discursu colligi potest) Hæc argumenta recte probare auxilium gratiæ non esse necessarium, vt homo possit huiusmodi actum moralem facere, esse tamen necessarium vt illum faciat: sicut actualis concursus Dei est necessarius vt homo operetur, non tamen vt operari possit. Ratio autem talis necessitatis supra posita est, de cogitatione congrua: nam sine cogitatione honesta non potest homo bene moraliter operari, & nisi talis cogitatio congrua sit in præscientia conditionata Dei, non operabitur homo de facto, quantumuis possit. Est ergo necessaria cogitatio congrua ad ipsum actum, hæc autem cogitatio non est debita, nec sine Dei prouidentia donatur: est ergo gratis data, & consequenter vera gratia: ergo sine aliqua gratia non potest de facto, & cum effectu fieri opus simpliciter bonum. Vnde ingenuè etiam fatentur, hanc cogitationem non vocari gratiam, quia in se supernaturalis sit quo ad substantiam, vel intrinsecum modum eius, nihil enim tale potest in illa cum probabilitate cogitari, cum cogitatio illa, & obiectum naturale habeat, & sub ratione naturali, seu per medium ordinis naturæ illud attingat, solumque ordinetur proxime ad elicendum actum naturalem voluntatis. Aiunt ergo solum vocari gratiam, quia est donum quoddam gratis datum in ordine ad virtutem honestatem, & fortasse etiam ad veram sanctitatem, & æternam beatitudinem consequendam.

17.

*Examinatur responsum.*

Vt autem examinemus quanta cum probabilitate hoc dictum sit, cum totum hoc donum gratis collatum in sola illa congrua cogitatione ponatur, nonnulla circa illam inquirenda sunt. Primum cum sepe contingat, cogitationem illam excitari per exteriorem obiecti propositionem, vel per verba

humana, vel obiecti visibilis occursum, vt pauperis, vel hominis mortui, aut alterius similis, interrogo, an necessaria sit specialis prouidentia Dei, vt hoc obiectum tempore, & modo congruo occurrat, vel possit interdum, ac sæpe occurrere ex generali cursu causarum secundarum operantium cum sola generali Dei influenza. In quo, esto, verum sit sæpissime has opportunas occasiones bene operandi moraliter prouenire ex prouidentia peculiari, interueniente scilicet peculiari custodia sanctorum Angelorum: tamen non videtur dubium, quin non semper sit hoc necessarium, quia nihil inuenitur in huiusmodi externo obiecto, quod per communem cursum naturæ non possit occurrere homini tempore opportuno, sinendo solum causas secundas vt cursum suum peragant, cum communi influxu auctoris earum. Sicut etiam, quod occurrat obiecta excitantia ad malum, & tempore, quo pertrahunt hominem ad consensum, non prouenit positivè ex speciali prouidentia Dei, sed ex generali, cū præuisione, ac permissione, & communi influenza, & licet sæpe proueniat per indulgentiam malorum Angelorum, non tamen cum certitudine infallibili futuri effectus, vt est in Deo: nec etiam semper est illud medium necessarium, sed per solum cursum secundarum causarum potest talis occasio scandali offerri, permittente & præsciente Deo. Ita ergo potest esse in actu bono, hoc tamen excepto, quod in illo non præcedit sola permissio, sed etiam vel præceptum, vel consilium, vel approbatio Dei per voluntatem simplicem, seu antecedentem. At voluntas absoluta specialiter procurans talis obiecti occursum, necessaria non est: licet sit possibilis, nulla enim vera ratio talis necessitatis reddi potest, nec ab alijs authoribus redditur: imo in hoc non videntur nobis contradicere.

18.

Hoc supposito, inquiri ulterius, an proposito tali obiecto, necesse sit cogitationem illam fieri, aut dirigere à Deo speciali modo interius operante, ultra generalem concursum debitum, tam externis obiectis, seu occasionibus excitantibus talem cogitationem, quam ipsi intellectui elicenti, & indicanti secundum illa: Vel potius (supposita applicatione talium obiectorum facta per ordinarium cursum secundarum causarum) cogitatio illa, & practicum iudicium de tali bono opere præstando, sicut ab intellectu cum solo generali concursu primæ causæ. In quo etiam dicendum omnino est, necessarium non esse cogitationem illam fieri per specialem Dei actionem, quam interius in hominis intellectu operetur: quia in illa cogitatione nihil est supernaturale, neque ex parte ipsius intellectus, neque ex modo aliquo intrinseco eius, qui intelligi possit, vel cum fundamento fingi, neque ex aliquo fine extrinseco, vel eleuatione ad aliquid effectum supernaturalem: quia solum ordinatur ad bonum actum morale voluntatis, quia alias in substantia, & modo suo naturalis est. Potest ergo cogitatio illa excitari, & fieri in homine per ordinarium cursum, & influxum secundarum causarum, concurrente tantum Deo generali concursu, tam interius, quam exterius. Ergo cogitatio illa non est ex gratia, sed ex natura: ergo & opus virtutis, quod ex sola illa, cum viribus liberi arbitrij, & generali influxu primæ causæ procedit, non necessarium est ex gratia.

CAPVT XVI.

*Eadem vero sententia fundetur, ostendendo vana incommoda, quæ ex contraria sequuntur.*

Rationes superiori capite factæ rem ipsam satis ostendere videntur, quod supposita prima rerum vniuersi